Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1027
Quelle:
Copyright:

pagines ad ulteriores et dulciores fructus amicitie coalescunt. De vestra gloria glorior. quia secundum nomen magnorum qui sunt in terra nostra magnificauit Dominus uobiscum misericordiam suam, si tamen misericordia est. eleuans allisisti me. Erat longe securius &c. Hic Exempla coincidunt. A *fol.* 100. Epistolis adscriptae sunt Particulae III. rhythmicae, quas Librarius itidem pro Epistolis nobis venditavit, et inscripsit: *Contra clericos voluptati deditos. Contra clericos qui consangwineos ditant. Contra curiales.* Verum nihil sunt aliud, quam Excerpta e *Cantilena de Lucta carnis et spiritus*, quam *Petrus* noster Epistolae ad *G. de Alneto* inclusit. Atque haec est Edit. *cit.* p. 82. *n.* 57. Particulae porro illae incipiunt: *Qui habet aures audiat* &c. *In noua fert animus* &c. *Quod amicus suggeret* &c. His accedit in Codice velut postrema Epistola Instructio Fidei Catholicae ab *Alexandro* III. P. M. ad Soldanum *Iconii* missa inscripta: *De conuersione Soldani Iconij*, et incipiens: *Ex literis tuis et nunciorum tuorum fideli relacione* &c. prout extat Edit. *cit.* p. 431. sed scriba noster cum verbis: *infanciam renascaris* — manum removit de tabula.

II. *fol.* 107. p. 2. *Capitula concordata pro vnione sancte matris Ecclesie.* 1407. Sunt numero XXIII. quorum I. ita sonat: *Inprimis quod ambo Domini cum collegijs suis habeant conuenire personaliter ad ciuitatem Sauonam pro vnione ecclesie sancte exequenda et cum dei adiutorio obtinenda.* Vides agi de meditata compositione inter *Benedictum* XIII. seu *Petrum de Luna*, et *Gregorium* XII. seu *Angelum Corarium*, quorum ille *Dominus Avinionensis*, hic *Dominus Romanus* audit. Successu caruisse, tergiversante potissimum *Gregorio*, notum ex Historiis. *Capitula* nostra, quibus omnes Conventus leges et cautelae, distributio Civitatis, numerus Comitum pro utraque Parte &c. definiuntur, curiosa sunt et fortassis ἀνέκδοτα. Ita *quilibet ex Dominis introducat in ciuitatem ob seruitia pro se et curia sua centum familiares tantum, camerarium et duos prothonotarios et XXV. prelatos et XII. doctores et XII. magistros in theologia.* Ad calcem additur: *Conclusio hec 1407. infra pasca et pentecostes wiennam est transmissa.* Conventus autem ad D. *Michaelis* festum celebrari debuisset.

III. *fol.* 109. *Symon de Cassya super parabolas ewangeliorum.* Initium Prologi: *Parabola facilem bolum paratori* &c. Titulus et initium Operis: *Incipit tractatus de parabola orandi et impetrandi secundum matheum et lucam. Et quidem prima parabola Domini saluatoris* &c. Frustra esset, qui distinctum hoc Titulo quaereret Opus *Simonis Fidati de Cassia* piissimi Sec. XIV. Ord. Erem. S. *Aug.* Ascetae. Liber *Sextus* est ex XV. illis, qui vel *de Religione Christiana*, vel *super totum Corpus Evangeliorum*, vel *de Gestis Christi* inscripti feruntur, quorumque extat Editio *s. l.* et *a. Basil.* 1517. *Colon.*